8.

COPIA
LITERARVM
Cujusdam
MAGNÆ DIGNATIONIS
POLONI,
DN. PRZIMSKY
ad

FRATREM SUUM
DN. CHRISTOPHORUM PRZIMSKY
Caſtellanum Culmenſem,

In

Quibus amore PATRIÆ SUÆ *ductus explicat quid ſentiat*

DE

TRACTATU POLONORUM
cum
AUSTRIACIS.

6.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME DOMINE FRATER,

REdditæ mihi ſunt literæ tuæ hic Cuſtrini, tum plane cum excurrerem in arcem Wildenbruch, ſalutandi gratiâ Excell. Dn. Davan Court. Et quia quarto die literæ tuæ pervenerunt huc, facile eſt exindè colligere, quod ſi hoc trimeſtre elapſum fuiſſet in mutua correſpondentia, multum commodi redundare poterat in patriam Noſtram, circa ejus pacem & tranquillitatem, in qua per fatalem incuriam adeo mala invaluere, ut verendum ſit, ne ſalubria quantumlibet remedia fruſtrà adhibeantur. Qua de re in præſentia non nihil tecum conferam, paratus & impoſterum ulterius progredi, niſi Nos partium ſtudia, quæ in ſpeciem plauſibilia, non utilia patriæ eſſe poſſunt, totaliter ſejungant. Et è re quidem præſenti videretur, quædam præfari de inſtituto meo melioris informationis gratia, quam hactenus vulgi, vel invidorum tumultuariam ſecutus ſententiam, habuiſti: Verùm quoniam liberiori tempore ſpecialia quædam in hoc negotio conſignata, transmiſſa tibi à me erunt, non faciam ex Epiſtola Apologiam. Brevibus tantum expediam, me nullos adhuc agnoſcere in me errores: nec quisquam mortalium objicere mihi jure quicquam poteſt, quod famæ & exiſtimationi meæ noceat nunc temporis & olim apud poſteritatem, quæ omnes has transactiones ſine ira & ſtudio dijudicabit. Haud multum moror præſentis, quo hæc fiunt, temporis præjudicia: eam ob cauſam quod iniqui indices vel ob manifeſtam in Regem ſuum prævaricationem, vel ob indecoram paulo poſt inconſtantiam erga Regem Sveciæ alio judice, qui talium innocuus ſit, opus habent. Me itaq; (ut pauciſſimis verbis attingam) nec temeritas, nec ſpes ulla ad hanc, quæ mihi à te objicitur, neutralitatem impulerunt, ſed partim certæ obligationis in ſumma patriæ primum concordia, mox confuſione neceſſitas, partim præſentis Status metamorphoſis admiranda: adeò ut conſilia, quæ pro remedijs ſuſcepiſtis, tantum abeſt, ut pacem patriæ afferre valeant, ut potius, eam, niſi Deus ipſe providerit, in majores & inextricabiles difficultates certo certiùs deducant. Teſtis eſt poſt Deum & propriam conſcientiam tota Reſpublica, quanto co-

natu optarim, hanc à Republica tempeſtatem abeſſe, cauſam publici naufragij. Novit Seren. Rex, norunt Illuſtr. D. D. Cancellarij, quæ conſilia mea circa fœdus & ſocietatem cum Belgij Statibus fuerint; Sed Surdis fabula canebatur, fato imminente. Uſtienſis tractatio notior eſt, quàm ut opus ſit in præſentia repetere. Poſt inſecutas clades exercitus, poſt deditionem Warſoviæ & Cracoviæ, poſt ſubſcriptum Contractum à Generaliſſimis Exercitus, poſt ſuſceptam Sveciæ protectionem à Palatinatibus Majoris & Minoris Poloniæ, ut & rubræ Ruſſiæ, venit Seren: Rex Sveciæ victor in urbem Turonenſem, ut in propriam, ubi tunc cum charis pignoribus commorabar. Ibi primum veni in conſpectum Seren. Regis eique ex occaſione recordationis tàm fratris Noſtri defuncti, Sveciæ olim militantis, quàm tui ipſius, utpote Legati ad eundem Sveciæ Regem, data fide ſtipulatus ſum. Quis tunc cogitaſſet de mutatione, quæ poſt aliquot menſes inſecuta eſt, præſertim cùm à nemine Veſtrum monitus fuerim de ijs rebus quæ in Sileſia concludebantur? Et tamen poſt tranſactionem & reſtitutionem Warſavienſem ſpectabam cum multis ulteriorum conſiliorum rationem, & quid mihi Fato Patriæ aliorſum deducto faciendum foret. Ibi tum momento turbinis exit è vicinia fama certæ jam pactionis cum Magno Duce Moſcoviæ, mox cum Principe Tranſylvaniæ, tandem cum Seren. Auſtriaca Domo. Quæ omnia, ut fatear, mihi diſplicuêre, & remedia morbo pejora viſa ſunt. Exinde enim intellexi abjeciſſe Vos omnem Pacis cogitationem cum Svecis, quaſi bellum aliter quàm per pacta (quod nulli adhuc belligeranti contigit) finire poſſetis. Quod attinet ad Tractatus Moſcoviticos, eos nec ex decoro, nec ex utili Reip. eſſe, & orbis judicium & Veſtrum proprium probat; Nam brevi hiſce contemptis, vel ſilentio tranſmiſſis, contuliſtis Vos ad Auſtriacos, & ad Seren. Domum hanc confidentius reſpexiſtis. An non errores ſunt quæſo? plane hic cœcus amor fuit, ſi defectus non animadvertit: quam quidem ambitioſam obſtinationem juſta ſubſequi ſolet Nemeſis, & oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Et ne ipſe pari vitio teneri videar, quod errores pariter excuſem, hoc ita declaratum cupio, me ex comparatione errorum publicorum tenuiſſimos vel nullos in privatorum innocente vita agnoſcere. Cæterum humani tamen nihil à me alienum puto, resq; mortalium tam profunda caligine merſas, tamque fallaci perſona ſeſe repræſentantes, ut difficulter indicari poſſit, quid verum quidve honeſtum ſit. Non ſecus ac imagines ab artifice factæ ex uno latere inſpicienti formam Gigantis, ex altero ſpeciem pigmæi referunt. Ex hac itaque parte ego intueor pacta Moſcovitica, quæ mihi repræſentant

majorem

Digitized by Google

majorem indies Lithuaniæ calamitatem & funeſtum exitium: Quamvis id certum ſit, diſſimulare adhuc Magnum Ducem contemptum ſuum, qui ſi aliquando apertius furere incipiat, quid ſperandum eſt? Vos ſi ab alia parte contraria conſpicitis, & omnia fauſta infallibili augurio exinde promittitis Reip. amplius edocete. Sereniſſimus Tranſylvaniæ Princeps adſcitis Coſſakis ultus eſt pro viribus injuriam oblatæ Coronæ; & ut ut nunc multis minus decore videatur Regno exceſſiſſe, at quis ſponſor, eum amplius non reverſurum? Et certè vereor ne in vindictam hujus & prioris injuriæ, & ipſe vires recolligat, & totum orientem ſedibus ſuis contra Nos exciat. Poterit etiam fieri, ut, ſi intereà Tractatus de pace non interceſſerit, revertatur & aliquis alius præter illum juxta Gallicum Proverbium, pour mieux ſaulter il faut reculer. Ne dicam plus quippiam eſſe, quàm errorem ſimplicem, quum tandem Coronæ Polon. repertus ſit locus à quo ſemper Majores Noſtri abhorruerunt; qui ſolus actus deterret me à conſiliis aulæ, quæ hac in parte probare nullo modo poſſum. Nihil jam dico de eo, qui tueri poſſitis famam conſtantiæ, rem unam tribus promittendo, nam tres Coronæ in uno capite per fidem ſubſiſtere poſſunt: at unam Coronam tribus capitibus imponere omnem fidem ſuperat. Quod ſi tamen commodiſſimè alicui ex Sereniſ. Auſtriaca Domo eveniret, quæro ex Vobis, quâ ratione hæc cum libertatibus Patriæ & jure potiſſimum eligendi, pretioſiſſimo Noſtræ Reip. theſauro conciliabitis? Nihil hîc detractum volo Seren. Domui, quæ pios, clementes & fortes tot Principes & Monarchas Orbi Chriſtiano dedit: Sed Majores Noſtri non perſonas, verum modum dominationis oderunt. In tali enim hæreditario regimine præſupponuntur Principes boni atque juſti, qui ſi de fragilitate humana degenerent, poteſtas & armata injuſtitia dominationem in tyrannidem mutant. Poſſem hîc multa afferre ad demonſtrãdam diſſimilitudinem jurium Hungariæ, Bohemiæ, Sileſiæ & Poloniæ, ſed quia nota hæc ſunt ſatis, ad alia propero eaq; majora: Sunt in Rep. Noſtri multi in religione diſſidentes, omnes tamen æquali jure Nobiſcum Catholicis gaudent, omnes confœderationis ſecuritas complectitur, habent liberum exercitium Religionis, templa in bonis hæreditariis ædificant, ſcholas erigunt, libros liberè imprimunt. Retinebuntur omnia iſta Privilegia ſub Regimine Auſtriacorum? Non dices, opinor Chariſ. Domine Frater, nec fortè per conſcientiam id optare debes. Rectè ſanè; quod & Votum meum eſt, ut mortales tandem ſapiant, quàm leves ob res magnas turbas inter ſe moveant; quamque citò Lutherani ad unionem Eccleſiæ reverti poſſint, ſi de ſola Religione, non de regione quæſtio eſſet. Utut autem non dubium ſit, miſero opum cupiditate offi-

ſcia etiam pietatis perverti ex eoq; Religionis diverſitatem periculum Rebusp. afferre, haud aliter tamen unitatem in Eccleſia opto, niſi ut ſponte omnes Eccleſiæ reconcilientur. Procul verò abeſſe cupio à Patria Noſtra omnem vim & violentiam, præſertim eam, quæ conſcientiis inferri poſſit. quo pacto enim videre poſſemus neceſſarios Noſtros, Amicos, Vicinos, in vitæ & fortunarum diſcrimen incidere ob ſolum opinationis crimen? Quo pacto permitteremus, ut res brevi poſt tempore redeat in circulum & quæ aliis intentavimus, in Noſtras non dicam cervices, ſed conſcientias recidant. Nam civitates opulentiores imminentem Religionis ſuæ everſionem ſpeculantes neceſſariò recurrerent ad Protectionem eorum, quibus nunc tantâ conſtantiâ reſiſtunt: Quod claro belli Germanici exemplo confirmare ſufficiat. Ac profectò ſolius inclytæ Gedanēſis urbis vices hac in parte dolerem, ſi pro laboribus damnisquè ſuis in eam aliquando neceſſitatem ſummo totius Reip. diſcrimine, devenire debeat. Idcirco autem prolixior in hac materia fui, quoniam fama invaluit concluſum eſſe, per ſenatusconſultum non ita pridē, quod ſecuritatem diſſidentium cōvellat, quod non facilè credo, quia mihi perſpecta eſt clementia Seren: Regis. Etſi recentia quædam exempla confirmant, premi eos invidiâ cauſati belli Svecici, & quod illi parti adhæſerint, ſed an juſtâ, Deus novit. Ego initia ſpecto & cauſſas belli reſuſcitati. Quis ullum unquam civem accuſavit vel alicujus correſpondentiæ cum Svecis? Ego, qui omnibus Reip negotiis interfui bonâ fide fateri cogor, conficta eſſe talia crimina, & potiſsimam cauſam eſſe apud eos, qui Lubecæ tractatus non abſolverunt & quidem tùm, cùm Sveci faciles erant ad concludēdos prædictos Lubecenſes Tractatus. Certè Proteſtantes & alii in Religione à Nobis diſsidentes iniquiſsimè & ut ita dicam, gratis in hac comœdia pro Achivis habentur. Et hæc ſufficiant tandem, ne quis offendatur. Nunc pergo vos erroris convincere, ideo quia Vos ipſi recedere ab hoc conſilio incipitis; & utinam recedatis. Id indè liquet quod veluti in bivio hærentes deliberatis, annon expediat reſumere Tractatus cum Moſcis? Etſi probe perſpexi conſilium Senatus, ideò Comitia differuntur, ut & Moſcoviticis & Auſtriacis interea uti liceat, nec neceſſe ſit alterutram ſocietatem deſerere, & adhuc Vos non poſſe reſolvere, cui ſociorum nuncius ſit remittendus. Nam inter Comitiali tempore utraq; Auxilia ſubſiſtere poſſunt, dum modò ſolis promiſſis res agatur. Sed ſi intercedit pactio cum Domo Auſtriaca, ut eam interceſſiſſe multi Senatorum fatentur, an talia diu latere poſſunt! Comitia quæ neceſſariò haberi debent, rem totam, ut ut hactenus tectam & incruſtatam, abjectis involucris & ceremoniis declarabunt. Non me latet etiam, multos eſſe in Rep. qui per ſocietatem Moſ-

coviticam

coviticam facilius pacem obtineri poſſe credant, ſed difficultas ſola videtur eſſe ac velut nodus Gordius in illis Moſcoviticis nodis, quorum memoriâ, nonnulli Senatores ab omni ſocietate cum Moſcis deterrentur, quorum barbaries eousq; proceſſerat, ut in Comitiis quinquageſimi ſecundi non erubuerint Legati Moſcovitici pacem & amicitiam Regi & Regno offerre, ea lege, ut certi Senatores (quinam fuerint non ſatis memini) ad ſolvendos fortè difficiles iſtos nodos extraderentur.

Ego tamen in ea ſum ſententiâ, eos, qui à partibus Moſcorum ſunt, hanc habere rationem, quod ſi aliquando jugum ſervitutis excutiendum eſſet facilius proceſſurum negocium cum Moſcis, quàm cum Auſtriacis qui in retinendis Regnis ac provinciis potiores calleant artes, quam Moſci, id quod ulteriori Veſtræ deliberationi committo. Et quia inextricabiles difficultates in utraq; ſive ſocietate, ſive protectione cerno, utramq; valere jubeo: planeq; & ipſe exiſtimo, & Vos exiſtimare percupio redeundum omninò eſſe ad illum modum, qui ſolus eſt capax firmam pacem ſtabilire. Hoc pridem optavi, hocq; continuis votis à Deo precatus ſum, ut mihi hanc unicam in vita gratiam concederet, mediaq; menti meæ inſpiraret, quibus recluſis de patria mea tàm afflicta & neceſſariis orbata præſidiis, feliciter mereri poſſim. Veſtri jam indicii res ſit An non Dei beneficio bonum initium factum ſit? Quippe cum non ita pridem Sereniſ. Rex Sveciæ per Pomeraniam cum Exercitu in Holſatiam tranſiret, perrexi è proxima vicinia Stetinum usque, & amore in Patriam meam confirmatus, multa de rebus præſentibus cum Rege Ser. locutus ſum, tamen ut privatus, & ſub protectione Sereniſ. Electoris Brandenburgici permanens, petitaque ea, qua par eſt reverentiâ, ulterius compellandi ſuam Maj. veniâ, quæſivi, An quid adhuc à Maj. ſua ſperare poſſemus, præter timorem generalis exidii totius Nobilitatis; & præter multa his ſimilia, quæ Maj. ſua omnibus Regni Incolis minata eſt? reſpõſum accepi humaniſſimũ, ab humaniſſimo & fortiſsimo Rege, nunquam ſibi in mentẽ veniſſe, cupere extra aciem Nobilium internecionem: Quod ſi hactenus multa facta ſint vel ex ſolito belli more, vel ex in ſolita nonnullorum Tribunorum licentia, vel quicquid eſt odioſorum exemplorum, hæc omnia facta eſſe in ipſo æſtu revolutionis, cũ vice verſa à Polonis non tantum milites Svecici, ſed & ipſæ Salvaguardiæ, quibus pro tutela utebantur, crudeliſsimè occiderentur, omniaque cædibus fœdè miſcerentur. Alterum eſt, Sereniſsimum Regem nolle in Polonia liberam Electionem interire; quinimo præter bonum animum, qui ſuo tempore amplius patere Polonis poteſt, eſſe ex re, & Regni Sveciæ & Amicorum ejus ſecuritatem poſtulare, ut potius Regnum Poloniæ in priſtinum ſtatum reſtituatur, quam ut deveniat ad Domũ

Auſtriacam,

Digitized by Google

Auſtriacam, & paulò poſt in novum ſtatum reducatur, qualis nunc eſt Regni Ungariæ & Regni Bohemiæ. Tertium eſt: à pace facienda juſtis conditionibus non abhorret, quinimo ad eam propenſum animum teſtatur. Libenter aliquid de Boruſſia ratum fixumque intellexiſſem, ſed nolui amplius moleſtus eſſe ſu Majeſtati, poſtquam hoc audiſſem, quod loco maximæ conſolationis mihi fuit: nimirum ubi ad Tractatus fuerit deventum, plura ſe facturum, quàm quæ hactenus declaravit. Et quia fecit mentionem pariter refuſionis damnorum, non poſſe, nimirum, ſe ab illa recedere, quoniam magnam vim pecuniæ in hoc bellum Polonicum Sereniſ. Rex inſumſerit, undè facile poſſe colligi exiſtimo, non fore inflexibilem ſuam Majeſtatem circa reſtitutionem Boruſſiæ, ſi non ex toto, ſaltem quod ſufficere poſſit ad liberam navigationem & alias Reipubl. commoditates. Quartum eſt: reliquiſſe ſuam Majeſtatem in Boruſſia Commiſſarios cum Plenipotentia & mandatis ad tractandum cum Rege & Republ. neque in ſe & ſuis fore moram ullam, attenderent modò à parte Poloniæ eorum conſiliis, qui pacem turbatum eunt & in turbis Poloniæ ſua quærunt commoda. Nunc itaque ſic tecum, Domine Frater ago, & à te vehementer peto, ut communicato præſenti negocio cum bonis Amicis, velis paululum, tecum reputare, quid præſtet facere, an oblata uti occaſione & cum Sereniſſimo Rege Sveciæ pacem tractare, quamdiu recenti vindictæ cupiditate in novum hoſtem flagrat, quàm novas ſocietates ſive protectiones concludere, & fundamenta exſtruere abſoluti Dominii in Remp. Nam ut ut mihi perſuadere conaris, me quodammodo de felici exitu ideò deſperare & à Patria abeſſe, quod mihi non ſint nota conſilia veſtra, & exindè potentiam, quâ adhuc Reſp. nititur, non ſatis capiam; attamen ut me hæc capere intelligas, neſcio uter Noſtrûm de Rep. deſperare videatur, an qui ad externa conſilia confugitis, an ego, qui nullis opus eſſe auxiliis puto? Qui tantum pollet viribus ut proſtratum hoſtem teneat, eumque ad omnia concedenda cogit, potens meritò dici debet: qui in auxilium vicinos advocat, apparet ipſum diffidere & ſuccumbere. Neque idcirco impugno auxilia, namque ab ævo auxiliorum uſus eſt in bellis, & ipſi Sveci auxiliis pugnant valentque; ſed in hac re ſic explico ſenſum meum, & pace Veſtra corrigo ſenſum nonnullorum: Primum improbo auxilia injuſtis conditionibus; alterum eſt, improbo auxilia viribus Noſtris majora. Multa paſsim occurrunt exempla, mutationes in Regnis & Imperiis eveniſſe ex occaſione auxiliorum, quæ cuique hiſtorias legenti, ſponte occurrunt. Quod ſi animus tuus à curis vacuus ſingulare quid ac recens cogitare velit, reputet, quod nec potentiſsimi Belgii Status vicinis auxiliis ſeſe gravari voluerint, nec

nunc

Digitized by Google

nunc Seren. Reſp. Veneta redigi ſeſe patiatur ad auxiliorum exterorum neceſſitatem; non quod illis non indigeat contra eum Monarcham, qui ſolus potentior eſt, quam tres quatuorve in Europa Reges, ſed quod tàm candida tamque tuta hactenus ſibi non fuerint oblata, quibus confidere poſſit, ſine ullo in poſterum metu ullius mutationis. Ob quam vel ſolam cauſam Deus proſperet Sereniſ. Rempb. ut in longiſſima tempora exemplum ſit & exemplar toti mundo veræ libertatis & inconcuſſæ in variis caſibus animæ. Jam verò ſoli Vos eam Vobis prudentiam promittitis & felicitatem extraordinariam, ut ſive cum Moſcis, ſive cum Seren. Domo Auſtriaca (utinam cum hoc non ſit factum in æternam patriæ libertatis perniciem) paciscamini, tamen in nulla re immutabitur ſtatus Reip. optandum non ſperandum. Ecce ſcrupulos hoſce temporaneos Vobis njicio. Circa hanc ſocietatem ſeu protectionem cum Auſtriacis neceſſariò interveniunt certa pacta: porrò pactis ſtandum eſſe vult fides bona, potiſſimum ſocietatis humanæ vinculum. Et ut Auſtriaci exhibentes charitatem proximo, propriam charitatem negligant, veriſimile non videtur. Nunc ſi hoc quis affirmare vellet, quæro cur ante biennium hæc auxilia non ſint ingreſſa in Poloniam? quid impedivit? quandoquidem eædem legiones in ipſis confiniis videlicet in Sileſia manebant. Utatur quis judicio hac in re ſuo, mihi uti liceat meo; nimirum adhuc Reſp. ſatis videbatur potens, repulſis Svecis, & Germanos in Germaniam ablegare: Sed potius expediebat & Polonos & Svecos longiori bello atteri, ut & Sveci facilius debellari poſſent, & Poloni adeò debiles efficerentur, ut pares non eſſent futuris auxiliis. Interim illud quoque commodi eveniret ex hac mora, quod Svecicum nomen ob diuturnas calamitates & continuas vexationes, odioſum in Polonia efficeretur, Auſtriacorum vice verſa, ut defenſorum gratiſſimum, Potius itaque credendum eſt, haud minores hic interceſſiſſe conditiones, quàm ſunt illæ, quos Moſcoviæ Dux expreſſit, vel quod factum eſt cum Sereniſ. Tranſylvaniæ Duce, cum ei oblata eſſet Corona. Quod ſi dicat aliquis factum eſſe ex conſenſu paucorum, idem ego dicendum puto, de Moſcovitica tranſactione, & de illa, quæ facta eſt cum Sereniſ. Auſtriacis.

Illud quoque vehementer animum meum tenet, quod exiſtimem fore ut in arcibus & fortalitiis Cæſareana præſidia conſidant, præſertim in illis, ex quibus hoſtes eijcient. Quod ſi eveniat & per fortunæ mutationem extendantur hæc præſidia in Majorem Poloniam, in Boruſſiam, fidem Veſtram populares, ſi unquam receſſuri ſunt! Nam habentes paratas legiones, & antiquum Jus in Boruſſiam, quo pacto illi de poſſeſſione deijcientur? Nec dicendum eſt, per longiſſimam

giſſimam præſcriptionem ceciduſſe Jus Boruſſiæ Magiſtrorum: nam tales diſcurſus privatorum oblectamenta ſunt, apud Principes id æquius quod validius. Quid igitur utilitatis exinde in Remp. redundabit, ſi ejectis Svecis Auſtriaci intromittentur? Maximus fructus ægrè feciſſe Svecis, & interim publicas miſerias auxiſſe: Ut hoc prætercam, ſub judice litem eſſe, quis quem ejecturus ſit; Quid ſi Dani, Angli & Belgæ uniti cum Svecia in tuitionem portuum Boruſſicorum contra Auſtriam conſpirent? diu hoc ſaxum volvit Auſtria cum invidia omnium, qui mare Balthicum frequentant. Nihil etiam dictum volo, quale hic jaciatur fundamentum, ſi non perpetuæ ſucceſſionis, neceſſariæ tamen Electionis ejus qui in poteſtate provincias & arces tenebit. Deniq; etiamſi periculum liberæ electioni ex iis tractatibus nullum ſit, tamen graviſsimum periculum exinde imminet, quod ſi iſta Auxilia unum atque alterum annum in Polonia ſint futura, ingens non modò odium & bellum, ſed etiam debitum Resp. contrahet, ita ut aliquando futurum verear ne adhuc alius aliquis Princeps Nobis advocandus ſit, qui auro Germanos eijciat. Notum eſt enim cito ex inimicis fieri amicos, quoties de pecunia res eſt. In qua materia ſingulare exemplum occurrit circa auxilia in Poloniam contra Sereniſ. Dn. Guſtavum ab Imperatore Div. mem. Ferdinando II. miſſa. Vix anno dimidio meruerunt in Boruſsia, & Dux Wallenſteinius tantas turbas ob non exſoluta ſtipendia dedit, ut neceſſe fuerit Ser. Regi Poloniæ acrioribus literis importunitatem ejus compeſcere, & interim ſolutionem ex publicis contributionibus procurare. Cito enim debitum contrahitur, ſi quis exactè ſolvere velit, ſtipendia Legionibus Germanicis: Nec Regum opes, nec Rerump. diu talibus ſufficiunt, edocti toties, negare non poſſumus. Et cum ante paucos annos à Repub. deſtinatus eſſem unà cum aliis ad exſolvenda militibus ſtipendia, memini me quondam eadem de re tecum egiſſe ex occaſione ſtuporis, qui nonnullos tenuit Commiſſarios, quo pacto unus Oberſter trecenta fl. millia prætendere queat? & laudandus paulo poſt laudabatur candor tuus, quòd ipſe Nos docueris, quo pacto in poſterum rationibus attendendum eſſet. Sed tandem manum de tabula: ne prolixis literis moleſtus ſim, etſi nulla moleſtia eſſe debet circa bonum publicum verſantibus. Rogo itaque te amantiſsime frater, nec jam per fraternum amorem, nequid hic etiam affectibus detur, ſed per amorem patriæ, ut ea quæ nunc à me audis, penitius cogitare pergas, & cum Illuſtriſsimis viris, quibus uteris, uti ſcio familiariter, magnaque tibi imprimis eſt conſvetudo, cum viris in ea urbe prudentiſſimis,

Digitized by Google

tiſſimis, communices omnes haſce conſilij noſtri rationes, ut veſtro mox reſponſo docere queam, oportunè ne id faciam, an fallar, ut putas, ex conſiliorum ignorantia. Quod ſi ita eſt, pertrahetis in partes, ſin minus prudentem, at candidum & amantem patriæ concivem, qui hactenus nec Svecicus, nec Auſtriacus ſed verus Polonus audire voluit, & ſub protectione Ser. Electoris quietus manſit, qui ut planè veſtro deſiderio ſatisfaciat, promittit etiam vobis, ſe valedicturum partibus, poſtquam res patuerit in cauſa eſſe, quominus ab utrinq; honeſta pax fieri poſſit. Interim animus firmandus erit fortibus præceptis contra paupertatem, exilium, mortem, ut vel vobiſcum vincere liceat, vel firmo vobiſcum animo perferre, quæcunq; ſors attulerit. Sed meminiſſe Vos volo, quod ſi Auſtriacos Vos appellari perrexeritis, fore, ut me quoq; non pudeat nominis *Svecici*, & hoc ſaltem conſiſa R ep. dignum familia noſtra, ne indecora levitate, famam in illo Exercitu ſangvine Domus Noſtræ partam, corrumpam. Quæ res te, ô frater, monere debet, ne (ubi par utilitatis obſervatur in patriam) plus Auſtriacis, quàm Svecis debeas, præſertim cum conſtantiæ tuæ interſit, non dejici de gradu conſilij quod hactenus publicè in pace cum Seren. Rege Sveciæ faciendum probaſti.

Præſtat enim pax honeſta, quam inhoneſta ſubjectio. Vale jam & Bonum publicum unà mecum promove, qui finis eſt unicus præſentis Epiſtolæ. Cuſtrini d. Auguſti An. 1657.

PRZINSKY.

F I N I S.

giſſimam præſcriptionem cecidiſſe Jus Boruſſiæ Magiſtrorum: nam tales diſcurſus privatorum oblectamenta ſunt, apud Principes id æquius quod validius. Quid igitur utilitatis exinde in Remp. redundabit, ſi ejectis Svecis Auſtriaci intromittentur? Maximus fructus ægrè feciſſe Svecis, & interim publicas miſerias auxiſſe: Ut hoc prætercam, ſub judice litem eſſe, quis quem ejecturus ſit; Quid ſi Dani, Angli & Belgæ uniti cum Svecia in tuitionem portuum Boruſſicorum contra Auſtriam conſpirent? diu hoc ſaxum volvit Auſtria cum invidia omnium, qui mare Balthicum frequentant. Nihil etiam dictum volo, quale hic jaciatur fundamentum, ſi non perpetuæ ſucceſſionis, neceſſariæ tamen Electionis ejus qui in poteſtate provincias & arces tenebit. Deniq; etiamſi periculum liberæ electioni ex iis tractatibus nullum ſit, tamen graviſsimum periculum exinde imminet, quod ſi iſta Auxilia unum atque alterum annum in Polonia ſint futura, ingens non modò odium & bellum, ſed etiam debitum Resp. contrahet, ita ut aliquando futurum verear ne adhuc alius aliquis Princeps Nobis advocandus ſit, qui auro Germanos ejiciat. Notum eſt enim cito ex inimicis fieri amicos, quoties de pecunia res eſt. In qua materia ſingulare exemplum occurrit circa auxilia in Poloniam contra Sereniſ. Dn. Guſtavum ab Imperatore Div. mem. Ferdinando II. miſſa. Vix anno dimidio meruerunt in Boruſsia, & Dux Wallenſteinius tantas turbas ob non exſoluta ſtipendia dedit, ut neceſſe fuerit Ser. Regi Poloniæ acrioribus literis importunitatem ejus compeſcere, & interim ſolutionem ex publicis contributionibus procurare. Cito enim debitum contrahitur, ſi quis exacte ſolvere velit, ſtipendia Legionibus Germanicis: Nec Regum opes, nec Rerump. diu talibus ſufficiunt, edocti toties, negare non poſſumus. Et cum ante paucos annos à Repub. deſtinatus eſſem unà cum aliis ad exſolvenda militibus ſtipendia, memini me quondam eadem de re tecum egiſſe ex occaſione ſtuporis, qui nonnullos tenuit Commiſſarios, quo pacto unus Oberſter trecenta ſt millia prætendere queat? & laudandus paulo poſt laudabatur candor tuus, quòd ipſe Nos docueris, quo pacto in poſterum rationibus attendendum eſſet. Sed tandem manum de tabula: ne prolixis literis moleſtus ſim, etſi nulla moleſtia eſſe debet circa bonum publicum verſantibus. Rogo itaque te amantiſsime frater, nec jam per fraternum amorem, nequid hic etiam affectibus detur, ſed per amorem patriæ, ut ea quæ nunc à me audis, penitius cogitare pergas, & cum Illuſtriſsimis viris, quibus uteris, uti ſcio familiariter, magnaque tibi imprimis eſt conſvetudo, cum viris in ea urbe prædentiſſimis,